

BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
40150
kat.komp.
I Mag. St. Dr. P

Teol. 3225

Papenkowicz Jakob

Vadovii Martini Campii: Quaestio de visione Dei.



Biblioteka Jagiellońska
stdr0002949

QVÆSTIO
DE
VISIONE DEI.

A

M. IACOBO VSTIENSE S. FLO-
RIANI CANONICO S. T. BACC:
ad disputandum in Alma Acad: Crac:
proposita.

Præsidente:
Admodum Rndo Domino,
MARTINO CAMPIO VADOVIO
S. Theol: Doct. publico Professore, eiusdemq;
Facultatis Decano, ad S. FLORIANI
PRÆPOSITO.

Disputabuntur in Lectorio DD. Theologorum Men-
sis Septembr. die 17. hora 12.

CRACOVIÆ,
Apud Franciscum Cæsarium, Anno D. 1625.

BIBL. UNIV. JAGELLONICAE
367

IN STEMMA



40150
Ib

Si poſsint cælum pecudeſq; feræque mereri,
Iam pridem aurato dignus es Agne Polo.
Haud meliore tamen poteras conſiſtere ouili
Quàm datus in tanti Præſulis excubias.
Cedite quas cælo defixit Græca bidentes
Fabula, nam terras dignior Agnus habet.

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino,

D. ACHATIO GROCHOWSKI DE GROCHOWCE DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPO PRÆMISLIENSI, Dño & PATR: AMPLISS.

M. IACOBVS VSTIENSIS S. FLORIANI Canonicus, Humillima obsequia.

DIsceptationem de cognitione, quâ beatæ mentes Deum in patria intuentur, sub tuis Illustriss: Antistes auspiciis in theatrum Academicæ concertationis produco. Credo non grauatè pro tuæ naturæ benignitate feres, si Academicus sub alas tui patrocinij, quas ad vniuersam Academiam protendis, sese recipiat, nec susceptum officium ad propagandum in S. Th. profunditatibus profectum improbabis. Postquam enim semel in gremium Tuæ beneuolentiæ Academiam Cracouien. recepisti, non illius res accisæ, non honores Tuis virtutibus magnis debiti, non cuiusquam sinistra persuasio, Tuam in illa fouenda po-

tuit expugnare constantiam. Illustria in Ecclesiam, in Sereniss: Regem D.D. nostrum Clementiss: ac Remp. merita, Te ad augustum Antistitum ac Regni Senatorum ordinem prouexerunt, quid? cùm gregi Christi Pastor vigilantissimus solicitam, Sereniss: Regi Consiliarius fidelissimam, Reipub. Senator salutarem nauas operam, fortasis de Academiæ Cracouiẽ: salute curam iam ante bene Tibi familiarem à cogitatione excludis? Fecisset Numen Iagelonianæ immortali propitium, S. Tutelares exorassent, vt ita loco atque illi, ne quid ferat aduersi, solicitudine sis proximus. Cum enim Poloniæ carissimæ patriæ statum & Academiæ cum illa perpetuum nexum antea reputares, ac mentis perspicacia, quam excellens natura indulsit, literæ expolierunt esses consecutus: fontem hunc Iagelonianum omnis literaturæ alueum, non intra se cohibere, sed in vniuersas Ecclesiæ ac Reipub: partes effundere, tecum rectè statuens: quicquid Academiæ præstiteris in incrementum Polonæ vtilitatis, in argumentum contestandæ in D. Iagelonem pietatis cessurum: nil non fecisti, quod ad illius integritatem facere videretur, ac ab illo tempore, pro comperto iudicasti, (id quod plurimi viri graues censuerunt) hominem rebus Polonis minus beneuolũ,

non

non posse esse Academiæ eiusdem Regni scholæ amicũ, & qui de hac non pro dignitate sentiat ac loquatur, D. Iagelonis in hoc regnum meritis non esse fauentem, ac generosæ Polonorum virtuti ac splendori non bene cõsultum velle. Eius rei in proximo est testis eximia Tua in Episcopatu circumspectio, qua vt Pastor solicitus, nõ modò schismaticorum pertinaciam prudenter emollis, oues Tibi à Deo commissas ad illius antiquæ pietatis ac integræ sanctimoniæ exemplar formas, sed etiam quod sit ad commune Academiæ bonarumq́; literarum incrementum & ornamentum, id procuras studiosissime.

O quæ Te talem nobis hæc secla tulerunt!

Taceo quanta sit fuitq́; Tuæ voluntatis propensio in Academicos, quos ingenij excellentioris præstãtia & indefessa laboris Academiæ primũ, tandem Reip. fecit vtiles contentio. Et hi & cæteri, qui intra eiusdem scholæ spacia liberali iuuentuti liberalem impendunt operam, à magnifica Tuæ in se gratiæ prædicatione non cessant. Quare postquam Academiam scholam Regni ita adamasti, vt eius operariorum diligentiam luce Tuæ gratiæ erigas atq; exhilares, & ego ex numero illorũ qualis qualis, in campũ Academiæ Palæstræ vbi prodeo, aliter mihi de Tuo excelso animo polliceri non possum. Scio

 teneri

teneri me officio huius ineundi certaminis, verùm benè sustinendi & animosè prosequendi maiori parte spem in Tua benedictione & auspicio me habere fateor. Cæsar naue sua in magna fluctuatione periclitante, nauarchi pallescentis & consternati apprehensa dextra fertur dixisse, quid times? perge, aude, neque extimesce quicquam. Cæsarem vectas, ac Cæsaris fortunam nauigationis comitem. Ita & mihi quoties contra assertiones has, sub tuis insignibus propositas, oppositarum scholarum propugnationes directæ, animum meum tenuitatis conscium metu pulsabunt, ad hæc Tuæ protectionis symbola erit respiciendum, & ab illis quasi Te præsente relaxatio & exhilaratio est quærenda. Deus Opt: Max: seruet te felicissimum ac longæuum ad Ecclesiæ suæ ornamentum, inclito huic Regno solatium, Reipublicæ literariæ patrocinium. Ex Collegio Maiori, quarto Nonas Septembris.

QVÆSTIO

DE VISIONE DEI.

Ex 1. p: Summæ Angelici Doctoris 12.

VTrum intellectus beati in patria, lumine gloriæ eleuatus, interueniente similitudine, simul feratur in Deum, & in omnia quæ Diuinæ naturæ amplitudine continentur necne?

CONCLVSIO I.

Deum ab intellectu creato clarè videri certum est in fide.

COROLLARIA.

1. Error est in fide asserere visionem beatorum terminari ad lucem ex Dei naturâ resultantem.

2. Clara Dei visio non est præter naturam intellectus creati.

3. Dei essentiam videri ab intellectu puri hominis vitam hanc viuentis, ordinariè est impossibile.

4. Oculus corporeus nulla potentia ad videndum Deum potest eleuari.

5. Clara visio Diuinæ essentiæ, in puro viatore causat à sensibus abstractionem.

ut Paulus cu eet raptus ad 3 c.

CON-

CONCLVSIO II.

Intellectum creatum ad Deum clarè videndum lumine ſupranaturali eleuari eſt neceſſe.

COROLLARIA.

1. Lumen ſupranaturale in intellectu beati, eſt per modum habitus.

2. Non poteſt Deus clarè videri ſine lumine vel aliquo auxilio in intellectu beati illius loco recepto.

3. Falſum eſt Deum ex eo dumtaxat poſſe videri, quod ſe præſentẽ exhibeat intellectui in ratione obiecti.

4. Repugnat creaturam dari, cui lumen gloriæ ſit naturale.

5. Inæqualitas claræ viſionis prouenit, ex inæquali participatione luminis.

CONCLVSIO III.

Clara Dei viſio natura ſua perficitur abſque ſimilitudinis concurſu.

COROLLARIA.

1. Species Diuinæ eſſentiæ impreſſa in intellectu beati Deum intuentis, etiam per Dei abſolutam potentiam dari non poteſt.

2. Beati Deum intuentes, verbum nequaquam formant.

3. Visio beatifica perficitur vnione Dei naturæ cum intellectu beati.

4. Visio dicta est maior vnione materiæ cũ formâ.

5. Visio beatifica omnem excludit cognitionis successionem.

CONCLVSIO IV.

Clarà Dei visio est operatio vitalis supranaturalis vna secundum speciem atomam.

COROLLARIA.

1. Sola cognitio Dei seipsum cognoscentis visione beatorum est superior.

2. Ad claram Dei visionem nulla creatura vi naturali potest pertingere.

3. Visiones beatorum numero, ac secundum magis & minus differunt.

4. Visionis Dei augmentum maius quàm est, neque ex parte obiecti, neque ex parte luminis repugnat.

5. Temerarium est dictu, Dei increatam visionem Christi animæ & beatis communicari.

CONCLVSIO V.

Intellectus beati Deum intuendo, necessario fertur simul in omnia, quæ sunt formaliter in Dei essentia.

COROLLARIA.

1. Per nullam potentiam esse potest, vt beatus Dei essentiam clarè videat sine personis.

2. Vnam personam sine alia impossibile est obiici intellectui Deum clarè intuenti.

3. Beatus fruendo Diuina essentia, non potest non frui personis.

4. Implicat Diuinam intueri essentiam non visis attributis quæ sunt formaliter in Deo.

5. Abstrahere conceptum Diuinæ essentiæ, à conceptu personarum, visioni claræ beatorum repugnat.

CONCLVSIO VI.

Intellectus beati Deum intuendo, licet simul feratur in plurimos Dei effectus, non tamen in omnes quos Deus facit vel facere potest.

COROLLARIA.

1. Quæ concernunt statum cuiusq; beati latere eundem nequeunt.

2. Beatus cernit in verbo omnia genera, ſpecies, diſpoſitionem vniuerſi & myſteria ad fidem ſpectantia.

3. Cogitationes neque noſtræ, neque alterius beati, intellectui Deum intuenti patent.

4. Errori eſt proximum tenere, omnes effectus poſſibiles à beatis in verbo ſecundum quidditatem videri.

5. Nullus intellectus creaturæ Deum poteſt comprehendere.




BIBLIOTH: UNIV:
JAGELLONICAE